

AUSONE

ECLOGARUM LIBER (446 vers)

AVSONIVS DREPANIO FILIO

E_1 v.1 "Cui dono lepidum novum libellum ? "
 2 Veronensis ait poeta quondam
 3 inventoque dedit statim Nepoti.
 4 At nos inlepidum, rudem libellum,
 5 burras quisquilias ineptiasque,
 6 credemus gremio cui fovendum ?
 7 Inveni, trepidae silete nugae,
 8 nec doctum minus et magis benignum,
 9 quam quem Gallia praebuit Catullo.
 10 Hoc nullus mihi carior meorum,
 11 quem pluris faciunt novem sorores,
 12 quam cunctos alios, Marone dempto.
 13 "Pacatum haut dubie, poeta, dicis ? "
 14 Ipse est. Intrepide volate, versus,
 15 et nidum in gremio fovete tuto.
 16 Hic vos diligere, hic volet tueri :
 17 ignoscenda teget, probata tradet :
 18 post hunc iudicium timete nullum.

EX GRAECO. PYTHAGORICON DE AMBIGVITATE ELIGENDAE VITAE

E_2 v.1 Quod vitae sectabor iter si plena tumultu
 2 sunt fora, si curis domus anxia, si peregrinos
 3 cura domus sequitur, mercantem si nova semper
 4 damna manent, cessare vetat si turpis egestas ;
 5 si vexat labor agricolam, mare naufragus horror
 6 infamat, poenaeque graves in caelibe vita
 7 et gravior cautis custodia vana maritis,
 8 sanguineum si Martis opus, si turpia lucra
 9 faenoris et velox inopes usura trucidat ?
 10 Omne aevum curae, cunctis sua displicet aetas.
 11 Sensus abest parvis lactantibus et puerorum
 12 dura rudimenta et juvenum temeraria pubes.
 13 Adflctat fortuna viros per bella, per aequor,
 14 irasque insidiasque catenatosque labores
 15 mutandos semper gravioribus. Ipsa senectus
 16 expectata diu votisque optata malignis
 17 obicit innumeris corpus lacerabile morbis.
 18 Spernimus in commune omnes praesentia ; quosdam
 19 constat nolle deos fieri. Juturna reclamat :
 20 "Quo vitam dedit aeternam ? Cur mortis adempta est
 21 condicio ? ". Sic Caucasea sub rupe Prometheus
 22 testatur Saturnigenam nec nomine cessat
 23 incusare Jovem, data sit quod vita perennis.
 24 Respice et ad cultus animi. Sic nempe pudicum

25 perdidit Hippolytum non felix cura pudoris.
 26 E contra inlecebris maculosam degere vitam
 27 quem juvat, aspiciat poenas et crimina regum,
 28 Tereos incesti vel mollis Sardanapalli.
 29 Perfidiam vitare monent tria Punica bella ;
 30 set prohibet servare fidem deleta Saguntos.
 31 Vive et amicitias semper cole. - Crimen ob istud
 32 Pythagoreorum periit scola docta sophorum. -
 33 Hoc metuens igitur nulla cole. - Crimen ob istud
 34 Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.
 35 Dissidet ambiguus semper mens obvia votis,
 36 nec voluisse homini satis est : optata recusat.
 37 Esse in honore placet, mox paenitet ; et dominari
 38 ut possint, servire volunt. Idem auctus honore
 39 invidiae obicitur. Pernox est cura disertis ;
 40 Sed rudis ornatu vitae caret. Esto patronus,
 41 et defende reos ; set gratia rara clientis.
 42 Esto cliens : gravis imperiis persona patroni.
 43 Exercent hunc vota patrum : mox aspera curis
 44 sollicitudo subit. Contemnitur orba senectus
 45 et captatoris praeda est heredis egenus.
 46 Vitam parcus agas : avidi lacerabere fama,
 47 Et largitorem gravius censura notabit.
 48 Cuncta tibi adversis contraria casibus. Ergo
 49 optima Graiorum sententia : quippe homini aiunt
 50 non nasci esse bonum aut natum cito morte potiri.
 51 Sed contra alterius sectator dogmatis ista
 52 quid doceat reprobans, subdita disce legens :
 53 "Ergo nihil quoniam vita est quod amemus in ista,
 54 nec tamen incassum fas est nos credere natos,
 55 auctorem vitae si justum credimus esse,
 56 vita alia est nobis illi vivendo paranda,
 57 cum quo post istam possimus vivere vitam.
 58 Illi equidem stygias properent descendere ad umbras,
 59 Pythagoreorum stolidum qui dogma secuti
 60 non nasci sese quam natos vivere malint. "

DE VIRO BONO « PYTHAGORIKE APOPHASIS »

E_3 v.1 Vir bonus et sapiens, qualem vix repperit unum
 2 milibus e cunctis hominum consultus Apollo,
 3 iudex ipse sui totum se explorat ad unguem.
 4 Quid proceres vanique levis quid opinio volgi
 5 [LACUNE]
 6 Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus
 7 externae ne quid labis per levia sidat.
 8 Ille, dies quam longus erit sub sidere Cancri
 9 quantaque nox tropico se porrigit in Capricorno,
 10 cogitat et justo trutiniae se examine pendit,
 11 ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus aequis
 12 partibus ut coeat, nil ut deliret amussis,
 13 sic solidum, quodcumque subest, nec inania subter
 14 indicet admotus digitis pellentibus ictus,
 15 non prius in dulcem declinans lumina somnum,
 16 omnia quam longi reputaverit acta diei :
 17 quae paretergressus, quid gestum in tempore, quid non ?

18 cur isti facto decus afuit aut ratio illi ?
 19 Quid mihi praeteritum ? cur haec sententia sedit,
 20 quam melius mutare fuit ? Miseratus egentem
 21 cur aliquem fracta persensi mente dolorem ?
 22 Quid volui, quod nolle bonum foret ? Utile honesto
 23 cur malus antetuli ? Num dicto aut denique voltu
 24 perscriptus quisquam ? Cur me natura magis quam
 25 disciplina trahit ? Sic dicta et facta per omnia
 26 offensus pravis dat palmam et praemia rectis.

NAI KAI OY PYTHAGORIKON

E_4 v.1 Est et Non cuncti monosyllaba nota frequentant.
 2 His demptis nil est, hominum quod sermo volutet.
 3 Omnia in his et ab his sunt omnia, sive negoti
 4 sive oti quicquam est, seu turbida sive quieta.
 5 Alterutro, pariter nonnumquam, saepe seorsis
 6 obsistunt studiis, ut mores ingeniumque,
 7 ut faciles vel difficiles contentio nancta est.
 8 Si consentitur, mora nulla intervenit "Est est,"
 9 sin controversum, dissensio subiciet "Non".
 10 Hinc fora dissultant clamoribus, hinc furiosi
 11 jurgia sunt circi, cuneati hinc laeta theatri
 12 seditio, et tales agitat quoque curia lites.
 13 Conjugia et nati cum patribus ista quietis
 14 verba serunt studiis salva pietate loquentes.
 15 Hinc etiam placidis schola consona disciplinis
 16 dogmaticas agitat placito certamine lites,
 17 hinc omnis certat dialectica turba sophorum.
 18 Estne dies ? Est ergo dies ! non convenit istuc ;
 19 nam facibus multis aut fulgeribus quotiens lux
 20 est nocturna homini, non est lux ista diei.
 21 Est et non igitur, quotiens lucem esse fatendum est,
 22 set non esse diem. Mille hinc certamina surgunt,
 23 hinc rauco, multi quoque talia conmeditantes
 24 murmure concluso rabiosa silentia rodunt.
 25 Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant !

DE AETATIBVS ANIMANTIVM. HESIODION

E_5 v.1 Ter binos deciesque novem super exit in annos
 2 justa senescentum quos implet vita virorum.
 3 Hos novies superat vivendo garrula cornix
 4 et quater egreditur cornicis saecula cervus.
 5 Alipedem cervum ter vincit corvus, et illum
 6 multiplicat novies Phoenix, reparabilis ales.
 7 Quem nos perpetuo decies praevertimus aevo,
 8 Nymphae Hamadryades, quarum longissima vita est.
 9 Haec cohibet finis vivacia fata animantum.
 10 Cetera secreti novit deus arbiter aevi,
 11 tempora quae Stilbon volvat, quae saecula Phaenon,
 12 quos Pyrois habeat, quos Juppiter igne benigno
 13 circuitus, quali properet Venus alma recursu,
 14 qui Phoeben, quanti maneant Titana labores,

15 donec consumpto, magnus qui dicitur, anno,
 16 rursus in anticum veniant vaga sidera cursum,
 17 qualia dispositi steterant ab origine mundi.

DE RATIONE LIBRAE

E_6 v.1 Miraris quicumque manere ingentia mundi
 2 corpora, sublimi caeli circumdata gyro,
 3 et tantae nullam moli intercedere labem,
 4 accipe, quod mirere magis. Tenuissima tantis
 5 principia et nostros non admittentia visus ;
 6 parvarum serie constant conexas atomorum ;
 7 set solidum in parvis nullique secabile segmen.
 8 Unde vigor viresque manent aeternaque rerum
 9 mobilitas nulloque umquam superabilis aevo.
 10 Divinis humana licet componere. Sic est
 11 as solidus, quoniam bis sex de partibus aequis
 12 constat et in minimis paribus tamen una manet vis.
 13 Nam si quid numero minuatur, summa vacillat
 14 convulsaeque ruunt labefacto corpore partes.
 15 Ut, medium si quis vellat de fornice saxum,
 16 incumbunt cui cuncta, simul devexa sequentur
 17 cetera communemque trahent a vertice lapsum.
 18 Non aliter libra est. Si defuit uncia, totus
 19 non erit as nomenque deunx jam cassus habebit.
 20 Nec dextans retinet nomen sextante remoto,
 21 et dodrans quadrante carens auctore carebit
 22 divulsusque triens prohibet persistere bessem.
 23 Jam quincunx tibi nullus erit, si gramma revellas.
 24 Et semis, cui semis erit pereuntibus assis
 25 partibus ? Et cujus librae pars septima septunx ?
 26 Libra igitur, totum si nulla in parte vacillet.
 27 Ponderis et numeri morumque operumque et aquarum
 28 libra : nec est modulus, quem non hoc nomine signes.
 29 Telluris, medio quae pendet in aere, libra est
 30 et solis lunaeque vias sua libra coercescit.
 31 Libra dii somnique pares determinat horas,
 32 libra Caledonios sine litore continet aestus :
 33 tu quoque certa mane morum mihi libra meorum.

DE RATIONE PVERPERII MATVRI

E_7 v.1 Omnia, quae vario rerum metimur in actu,
 2 astrorum dominatus agit ; terrenaque tantum
 3 membra homini : e superis fortuna et spiritus auris
 4 septeno moderanda choro : set praesidet ollis
 5 sortitus regimen nitidae Sol aureus aethrae.
 6 Nec sola in nobis moderatur tempora vitae,
 7 dum breve solliciti spatium producimus aevi :
 8 creditur occultosque satus et tempora vitae
 9 materno ducenda utero formare videndo
 10 et nondum exortae leges componere vitae.
 11 Namque ubi conceptus genitali insederit arvo,
 12 haut dubium Solem cuicumque insistere signo.

13 Qui cum vicini stationem ceperit astri,
 14 contiguos nullum transfundit lumen in ortus.
 15 Ast ubi conversis post menstrua tempora habenis
 16 scandit purpureo jam tertia sidera curru,
 17 obliqua exilem demittit linea lucem,
 18 adspirans tenues per inertia pondera motus.
 19 Quarta in sede viget primi indulgentia Solis,
 20 suadet et infusus teneros coalescere fetus.
 21 Fulgore et trigono aspectus vitale coruscat,
 22 clarum et lene micans, quintique e cardine signi
 23 incutit attonitam vegetato infante parentem.
 24 Nam sexto vis nulla loco, quia nulla tuendi
 25 aequati lateris signatur regula Phoebo.
 26 Ast ubi signiferae media in regione cohortis
 27 septimus accepit limes rutilantia flammis
 28 recto castra situ : turgentis foedera partus
 29 jam plena sub luce videt, nec fulgura parci
 30 luminis intendens toto fovet igne coronae.
 31 Hinc illud, quod legitimos Lucina labores
 32 praevenit et gravidos sentit subrepere nixus
 33 ante exspectatum festina puerpera votum ;
 34 quod nisi, septeno cum lumina fudit ab astro,
 35 impulerit tardi claustra obluctantia partus,
 36 posterior nequeat, possit prior : an quia sexto
 37 aemulus octavi conspectus inutilis astri
 38 nescit compariles laterum formare figuras ?
 39 Set nono incumbens signo cunctantia matrum
 40 vota levat, trigono vires sociante sequenti.
 41 At si difficilis rursus trahit Ilithyia,
 42 tetragono absolvit dubiarum vincla morarum.

DE NOMINIBVS SEPTEM DIERV

E_8 v.1 Nomina, quae septem vertentibus apta diebus
 2 annus habet, totidem errantes fecere planetae,
 3 quos indefessa volvens vertigine mundus
 4 signorum obliqua jubet in statione vagari.
 5 Primum supremumque diem radiatus habet Sol.
 6 Proxima fraternae succedit Luna coronae.
 7 Tertius adsequitur Titania lumina Mavors.
 8 Mercurius quarti sibi vindicat astra diei.
 9 Illustrant quintam Jovis aurea sidera zonam.
 10 Sexta salutigerum sequitur Venus alma parentem.
 11 Cuncta supergrediens Saturni septima lux est.
 12 Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.

MONOSTICHA DE MENSIBVS

E_9 v.1 Primus Romanas ordiris, Jane, kalendas.
 2 Februa vicino mense Numa instituit.
 3 Martius antiqui primordia protulit anni
 4 fetiferum Aprilem vindicat alma Venus.
 5 Majorum dictus patrum de nomine Majus.
 6 Junius aetatis proximus est titulo.

7 Nomine Caesareo Quintilem Julius auget.
 8 Augustus nomen Caesareum sequitur.
 9 Autumnum, Pomona, tuum September opimat.
 10 Triticeo October faenore ditat agros.
 11 Sidera praecipitas pelago, intempeste November.
 12 Tu genialem hiemem, feste December, agis.

ITEM DISTICHA

E_10 v.1 Jane nove, primo qui das tua nomina mensi,
 2 Jane bifrons, spectas tempora bina simul.
 3 Post superum cultus vicino Februa mense
 4 dat Numa cognatis manibus inferias.
 5 Martius et generis Romani praesul et anni,
 6 prima dabas Latiis tempora consulibus.
 7 Aeneadum genetrix vicino nomen Aprili
 8 das Venus : est Marti namque Aphrodita comes.
 9 Maia dea an major, Maium te fecerit aetas,
 10 ambigo ; sed mensi est auctor uterque bonus.
 11 Junius hunc sequitur duplici celebrandus honore,
 12 seu nomen Juno sive Juventa dedit.
 13 Inde Dionaeo praefulgens Julius astro
 14 aestatis mediae tempora certa tenet.
 15 Augustus sequitur cognatum a Caesare nomen,
 16 ordine sic anni proximus, ut generis.
 17 Nectuntur post hos numerumque ex ordine signant :
 18 September, Bacchi munere praela rigans,
 19 et qui sementis per tempora faenore laetus
 20 October cupidi spem fovet agricolae,
 21 quique salo mergens sollemnia signa November
 22 praecipitat, caelo mox reditura suo.
 23 Concludens numerum genialia festa December
 24 finit, ut a bruma mox novus annus eat.

DE TRIBVS MENSTRVIS MENSIVM

E_11 v.1 Bis senas anno reparat Lucina kalendas,
 2 et totidem medias dat currere Juppiter idus,
 3 nonarumque diem faciunt infra octo secundi.
 4 Haec sunt Romano tantum tria nomina mensi,
 5 cetera per numeros sunt cognomenta dierum.

QVOTENI DIES SINT MENSIVM SINGVLORVM

E_12 v.1 Implent tricenas per singula menstrua luces
 2 Junius Aprilisque et cum Septembre November.
 3 Unum ter denis cumulatus adde diebus
 4 per septem menses, Jani Martisque kalendis
 5 et quas Maius agit, quas Julius Augustusque
 6 et quas October positusque in fine December.
 7 Unus erit tantum duodetriginta dierum,
 8 quem Numa praeposito voluit succedere Jano.

9 Sic ter centenis decies accedere senos
10 quadrantemque et quinque dies sibi computat annus.

QVO MENSE QVOTAE NONAE VEL IDVS SINT

E_13 v.1 At nonas modo quarta aperit, modo sexta refert lux.
2 Sexta refert Mai Octobris Martisque recursu
3 et qui solstitio sua tempora Julius infert.
4 Cetera pars mensum quartis est praedita nonis :
5 omnes vero idus octava luce recurrunt.

QVOTAE KALENDAE SINT MENSIVM SINGVLORVM

E_14 v.1 Post idus, quas quisque suas habet ordine mensis,
2 diversae numero redeunt variante kalendae,
3 dum vertente anno rursusque iterumque vocantur,
4 ut tandem optati procedant temporis ortu.
5 Ter senis unoque die genialia festa
6 porrigit, ut Janum arcessat nova bruma morantem.
7 Hoc numero mensisque Numae redit autumnique
8 principium referens Bacchi September alumnus.
9 Julius et Maius positusque in fine December
10 Octoberque die revocatur tardius uno.
11 Inde die redeunt minus uno, quattuor ultra,
12 quos numero adiciam : Sextilis, Junius atque
13 Aprilis, post quos paenultima meta November.
14 Ter quinis unoque die, Junonie Mavors,
15 ut redeas referasque exordia prima, cieris.
16 Hoc numero ad plenum vertens reparabitur annus.

RATIO DIERVVM ANNI VERTENTIS

E_15 v.1 Nonaginta dies et quattuor ac medium Sol
2 conficit, a tropico in tropicum dum permeat astrum,
3 octipedem in Cancrum Phrixo ab Ariete pergens.
4 Hoc spatio aestivi pulsusque et meta diei.
5 Semidiemque duosque dies deciesque novenos
6 a Cancro in Chelas aequatae tempora noctis
7 atque dii cursu peragit Sol aureus altero,
8 autumnus aestatisque simul confinia miscens.
9 Unde autumnales transcurrens ordine menses
10 ad tropicum pergit signum gelidi Capricorni,
11 octo dies decies octonis insuper addens
12 quadrantemque dii, quinto qui protinus anno
13 mense Numae extremo nomen capit embolimaiei.
14 Inde ad Agenorei festinans cornua Tauri,
15 scandit Lanigeri tropicum Sol aureus astrum,
16 nonaginta dies decreto fine cohercens.
17 Hic tibi circus erit semper vertentibus annis
18 ter centum ac senis decies et quinque diebus.

QVO MENSE QVOD SIGNVM SIT AD CVRSVM SOLIS

E_16 v.1 Principium Jani sancit tropicus Capricornus.
 2 Mense Numae in medio solidi stat sidus Aquari.
 3 Procedunt duplices in Martia tempora Pisces.
 4 Respicis Apriles, Aries Phryxee, kalendas.
 5 Majus Agenorei miratur cornua Tauri.
 6 Junius aequatos caelo videt ire Laconas.
 7 Solstitio ardentis Cancri fert Julius astrum.
 8 Augustum mensem Leo fervidus igne perurit.
 9 Sidere, Virgo, tuo Bacchum September opimat,
 10 aequat et October sementis tempore Libram.
 11 Scorpios hibernum praeceps jubet ire Novembrem.
 12 Terminat Arqitenens medio sua signa Decembri.

A SOLSTITIO IN AEQVINOCTIVM RATIO

E_17 v.1 Sol profectus a teporo veris aequinoctio
 2 post semidiem postque totos nonaginta et quattuor
 3 fervidis flagrans habenis pulsum aestivum conficit.
 4 Inde autumnus noctis horas librans aequo lumine
 5 octo et octoginta goeris et super trihorio.
 6 [LACUNE]
 7 Inde floridum reflexis ver revisit oreis
 8 additis ad hos priores goeros geminis orbibus.

DE MENSIBVS ET QVATTVOR ANNI TEMPORIBVS

E_18 v.1 Aeternos menses et tempora quattuor anni
 2 quattuor ista tibi subjecta monosticha dicent.
 3 Martius, Aprilis, Majus sunt tempora veris.
 4 Julius, Augustus nec non et Junius aestas.
 5 Septembri, Octobri autumnat totoque Novembri.
 6 Brumales Janus, Februarius atque December.

DE LVSTRALIBVS AGONIBVS

E_19 v.1 Quattuor antiquos celebravit Achaia ludos.
 2 Caelicolum duo sunt et duo festa hominum.
 3 Sacra Jovis Phoebique, Palaemonis Archemorique,
 4 sarta quibus pinus, malus, oliva, apium.

DE LOCIS AGONVM

E_20 v.1 Prima Jovi magno celebrantur Olympia Pisae.
 2 Parnasus Clario sacravit Pythia Phoebos.
 3 Isthmia Portuno bimaris dicat alta Corinthos.
 4 Archemori Nemeaea colunt funebria Thebae.

DE AVCTORIBVS AGONVM

E_21 v.1 Primus Olympiacae sacrauit festa coronae
 2 Juppiter Argivi stadia ad longissima circi.
 3 Proximus Alcides Nemeae sacrauit honorem.
 4 Haec quoque temporibus quinquennia sacra notandis,
 5 Isthmia Neptuno data sunt et Pythia Phoebō
 6 ancipiti cultu divorum hominumque sepultis.

QVOD IDEM QVI SACRI AGONES SVNT ET FVNEBRES LVDI HABEANTVR

E_22 v.1 Tantalidae Pelopi maestum dicat Elis honorem,
 2 Archemori Nemeaea colunt quinquennia Thebae,
 3 Isthmia defuncto celebrata Palaemone notum.
 4 Pythia placando Delphi statuere draconi.

DE FERIIS ROMANIS

E_23 v.1 Nunc et Apollineos Tiberina per ostia ludos
 2 et Megalesiacae matris operta loquar
 3 Vulcanique dies, autumnī exordia primi,
 4 Quinquatrusque deae Pallados expediam
 5 et medias idus Mai Augustique recursu,
 6 quas sibi Mercurius quasque Diana dicat ;
 7 matronae quae sacra colant pro laude virorum,
 8 Mavortis primi cum rediere dies.
 9 Festa Caprotinis memorabo celebria nonis,
 10 cum stola matronis dempta tegit famulas.
 11 Quattuor illa etiam discretis partibus anni
 12 solstitia et luces nocte dieque pares.
 13 Nec Regifugium pulsus ex urbe tyrannis
 14 laetum Romanis fas reticere diem.
 15 Visne Opis ante sacrum vel Saturnalia dicam
 16 festaque servorum, cum famulantur eri ?
 17 Et numquam certis redeuntia festa diebus,
 18 compita per vicos cum sua quisque colit ?
 19 Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
 20 et quem de Conso consiliisque vocant ?
 21 Festa haec navigiis aut quae celebrata quadrigis
 22 jungunt Romanos finitimosque duces ?
 23 Adiciam cultus peregrinaque sacra deorum,
 24 natalem Herculeum vel ratis Isiacae,
 25 nec non lascivi Floralia laeta theatri,
 26 quae spectare volunt, qui voluisse negant ?
 27 Nunc etiam veteres celebrantur Equirria ludi :
 28 prima haec Romanus nomina circus habet.
 29 Et Dionysiacos Latio cognomine ludos
 30 Roma colit, Liber quae sibi vota dicat.
 31 Aediles etiam plebi aedilesque curules
 32 sacra Sigillorum nomine dicta colunt.
 33 Et gladiatores funebria proelia notum
 34 de certasse foro : nunc sibi harena suos
 35 vindicat extremo qui jam sub fine Decembris
 36 falcigerum placant sanguine Caeligenam.

MONOSTICHA DE AERVMNIS HERCVLIS

E_24 v.1 Prima Cleonaei tolerata aerumna leonis.
 2 Proxima Lernaeam ferro et face contudit hydram.
 3 Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum.
 4 Aeripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
 5 Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
 6 Thraeiciam sexto spoliavit Amazona balteo.
 7 Septima in Augei stabulis inpensa laboris.
 8 Octava expulso numeratur adoria tauro.
 9 In Diomedeis victoria nona quadrigis.
 10 Geryone extincto decimam dat Hiberia palmam.
 11 Undecimo mala Hesperidum destricta triumpho.
 12 Cerberus extremi suprema est meta laboris.

QUINTI CICERONIS HI VERSUS EO PERTINENT...

E_25 v.1 Flamina verna cient obscuro lumine Pisces
 2 Curriculumque Aries aequat noctisque diique,
 3 cornua quem condunt florum praenuntia Tauri,
 4 aridaque aestatis Gemini primordia pandunt,
 5 Longaque jam munit praeclarus lumina Cancer,
 6 languificosque Leo proflat ferus ore calores.
 7 Post modium quatiens Virgo fugat orta vaporem :
 8 Autumni reserat portas aequatque diurna
 9 Tempora nocturnis dispenso sidere Libra.
 10 Efectos ramos denudat flamma Nepai,
 11 pigra Sagittipotens jaculatur frigora terris,
 12 bruma gelu glacians jubar espirat Capricorni,
 13 quam sequitur nebulas rorans liquor altus Aquari.
 14 Tanta supra circaque viget vis flammea mundi.
 15 At dextra laevaue ciet rota fulgida Solis
 16 mobile curriculum et lunae simulacra feruntur.
 17 [LACUNE]
 18 Squama sub aeterno conspectu torta Draconis
 19 eminent. Hunc infra fulgentes Arcera septem
 20 magna quatit stallas : quam servans serus in alta
 21 conditur oceani ripa cum luce Bootes.

HIC VERSVS SINE AVCTORE EST. QVO DIE QVID DEMI DE CORPORE OPORTEAT

E_26 v.1 Ungues Mercurio, barbam Jove, Cypride crines.
 2 HOC SIC REFELLENDUM
 3 Mercurius furtis probat ungues semper acutos
 4 articulisque aciem non sinit imminui.
 5 Barba Jovi, crinis Veneri decor. Ergo necesse est,
 6 ut nolint demi, quo sibi uterque placent.
 7 Mavors imberbos et calvos, Luna, adamasti :
 8 non prohibent comi tum caput atque genas.
 9 Sol et Saturnus nil obstant unguibus : ergo
 10 non placitum divis tolle monostichium.